Idea positiva substantiæ immaterialis æquè intelligibilis est ac materialis.

QUin pudet has nugas atque ægræ somnia mentis
Spargere, & incauto sciolum dare verba popello?
Quid facili tritâque viâ, vesane, relictâ
Scepticus ancipiti sequeris *Pyrrhona* meatu?
Quid Phœbi in radios rutilúmque impingis in ortum,
Et quereris densam vel claro in lumine noctem?
Quænam animæ natura fiet, si scire laboras,
Quærendo quod quæris habes; eadémque coercet
Quæ peperit modò causa sitim; se vindice nodus
Solvitur, ac dubium dubitandi præripit ansam.
Scilicet arcanæ sola est perceptio mentis
Idea; & variis variato nomine rebus,
Quod dubitat, sperat, metuit, sequitúrque, fugítque,
Quod petit ex justâ rationum pondera lance;
Grandia quod firmâ connectit sensa catenâ,
Colligit & sparsi latitantia fragmina veri;
Quod priscos restaurat avos, præsentia cernit
Sæcula, & ad seros penetrat post fata nepotes;
Quod manet immotum, terrásque invisit & astra,
Et simul humanis velox allabitur oris,
Et ruit in cœlum, Superûmque palatia scandit:
Cúmque aliquò pergat, non per longinqua viarum
Tendit iter, lassóque premit vestigia gressu;
Sed velut auritas quercus, sylvásque sequaces
Threïcii flexêre modi, præruptáque mitis
Traxit saxa fides, quò designâsset aratro
Mœnia grandisonus *Thebanæ* conditor urbis:
Hoc firmum fixúmque domi sic cuncta sequuntur,
Et videt extremas propriis in sedibus oras:
Quod præsens ubicunque velit *Garamantas* & *Indos*
Advocat, aut *Scythicos* frigente sub axe colonos:
Quod rapit è cœlo (verbis audacia detur)
Numina, & excelsum descendere cogit Olympum,
Et fruitur propiore Deo: quod desuper olim
Venit, & in terras patriâ concessit ab aulâ,
Multáque jam retinet divini insignia partûs,
Terrenásque odit fœces & corporis umbras,
Dicimus hoc *animam* cuncti, mentémque vocamus.
Quid mihi jam *Samiæ* narras consulta senectæ,
Stoïcidámque crepas & magno pondere barbam &
Triste supercilium, quásque olim *Academia* nugas
Tradidit, & culto fallax *Epicurus* in horto
Promis, & antiqui juras in verba Magistri?
Horum infausta animos nox & caligo tegebat,
Externo ex vultu satagunt penetralia rerum
Scire, nec in proprios animam valuêre recessus
Cogere, & ex ipsa mentem perdiscere mente.
Hinc animæ partes lux, ignis, flamma subibat,
Multáque continuo præfervida sphærula gyro
Tunc sapuisse dedit; cúmque omnia segmina vires
Juncta tulêre suas, quæ nil modò singula possent
Multa juvant, faciúntque acrem delira Senatum:
Insulsæque Atomi mundi moderantur habenas,
Et graciles paci præsunt bellóque Cylindri,
Bœotum in patria spissóque sub aëre nati.
Quóque magìs sublime aliquid vel numine dignum
Creditur, & pingues meritum virtutibus aras,
Quò magìs ingenio pollet sapiénsque putatur,
Tantò plus pernix & fervidiore citatum
Curriculo, partes ruit ac turbatur in omnes.
Illinc prima suos habuerunt sidera cultus,
Et superos auxêre choros, & prima sacerdos
Thura dabat stellis, primósque adolebat honores,
Et cœli similes flammis dedit hostia flammas,
Sacrificísque illos imitata est ignibus ignes.
Illibata focos nacta est hâc Vesta perennes;
Et colis æthereum tu *Persidos* Incola *Mithram*,
Quem tua, Phœbe, latent, aut cui tua sacra tacentur,
Cynthia, deciduos reficis quæ solibus orbes.
Hinc ut quam celeri rapiantur sydera motu
Monstraret, sacrúmque Deorum ostenderet æstum,
Jynga tulit *Strophalúm*q; Magus, *Rhombúm*q; rotabat.
En! lepidos, *Epicure*, Deos, quósque ipse putabas
Securo intrepidam luxu traducere vitam:
En! quæ tu statuis placidâ compôsta quiete,
Nullis pressa malis nullísque agitata procellis
Numina, tranquillos labi festiva per annos:
Aspice quàm crebris quatiantur inania ventis;
Quantillum fœlicis habent; quàm nulla tuetur
Majestas veneranda Deum; tantóque misellus
Plus patitur duri, quantò tibi major habetur.
Et si à materia nequeas disjungere mentem,
Respice quid superis dignum est, & crede quod illis
Convenit, & nimium taciturnus Numen adora.

Magnitudo objectorum in quacunque distantiâ justiùs exhibetur per perspicilla quàm per nudos oculos.

REspice de cœlis (modò si tubus Opticus adsit)
Instaurare tibi quantos, *Galilæe*, triumphos
Ætas docta studet; tandem Natura fatetur
Se victam, Noménque tuum veneratur & Artem,
Sensibus infidis diffidere jussa ministris.
In mediis cœci tenebris erravimus olim,
Sæpéque nos fallax rerum delusit imago.
In pratis si quando procul cum conjuge vacca
Discubuit, flores carpens summósque hyacinthos;
Credidimus stulti comitantem *Phyllida Mopsum*,
Multáque tum lacrymis frustra tum voce precantem.
Siquando in celsis errabant montibus agni,
Diximus esse nivem, & demirabamur amictu
Tam nitido terram vestitam temnere cœlos,
Certáque non longè jaculantem spicula Phœbum.
Te verò auxilium vitris, *Galilæe*, ferente,
Justiùs apparent quæcunque objecta tuemur:
His fruar & nunquam me fallet fœmina picta,
Decipiétve novos mentita senecta colores.
Dignoscam vetulæ quot sulci fronte patescunt,
An sit pinguis humus, facies, an gramina nutrit,
Barbáque multiplici gladio promissa minatur:
An oculo caret, an proprio, fictóve superbit
Naso, quàm pulchra & quàm sit me digna marito.
Quicquid habet rutilo Phœbus spectabile vultu
Evomat exposco, (sternutet cætera turba)
Excipiam lætus, quotquot gerit orbe sagittas;
Nulla fenestratos offendunt sidera ocellos,
Ablatis circum radiis & luce nocenti,
Imbelli posthac jactabit fulmina dextrâ
Divûm hominúmque Pater: certò dignoscimus in quos
Mittit, & exitium docti vitabimus ultrò.

Jul. 3. 1671. *In Vesperiis Comitiorum Respond. in Philos.* Henr. Lee, *A. M.* Coll. Eman. *Soc.*